

## ZELANDIAE TABULA.


delitijs totius Zelandiae habebatur, sed Anno 1532. insula integra ita mari absorpta est, ut eius praeter turres nonnullas, quae ex undis prominent, nulla sint reliqua vestigia. Inter hanc & Suytbeulandiam interiacet altera quam *Wolfs-dijk* vocant, insula, duos saltem pagos habens. Walachria praeterea insula est, vel ab eius cultore sic denominata, vel à Gallis, qui hanc oram frequentabant, qui Belgica voce *Walen* vocantur, aut ab ea Britanniae parte, in qua versus Occidentem consistunt Walli, apud Anglos praecipua nobilitatis viris à Gallis etiam oriundi. Insula haec ab Ortu Brabantiae obversa est, à Meridie Flandriae, ab Aquilone Hollandiae, ab Occasu æquinoctiali, Britanniae, in quam breuissimus est traiectus, & à qua parte primus in Oceanum ingressus quocumque terrarum visum sit, navigationis cursum dirigere. Praebet enim Arnemuda, Metelliburgi municipium tutissimum, omnibus portum, fidamque nauium stationem, nam hic praecipue classis, quamlibet numerosa instruitur, in quemcunque Oceani tractu velificatio perficitur. Haec tria insignia continet oppida, Metelliburgum, Campoferiam, quam *ter Veer* indigenae vocant, & Vlissingam. Atque haec omnes Zelandiae insulae cum nonnullis alijs Comitatum conficiunt, ac vrbes mœnibus cinctas octo in vniuersum, vicos autem pagosue innumeros ferè habent. De aëris autem zelandici clementia haud multa polliceri ausim (inquit Lemnius) ut qui in nonnullis partibus sit paulò asperior, & quam vicinarum gentium minus salubris, praesertim æstate, ob paludum & stagnorum graues halitus, & quod regio arboribus minus confita. Hoc tamen habet commodi, quod contagioni ac pestiferis morbis minus sit obnoxius, ac serius inficiatur, at infectus immaniter in corpora hominum grassatur. Terra ipsa fecunda ac frugifera: nam praeter insignes atque immensum fastigiatas lauros, perpolitissimam maturitate baccis onustas, quae Brabantis denegatae sunt: praeter efficaces ac salubres herbas, cum medendis morbis, tum esui accommodas, praeter sal candidissimum, quod ciuium industria conficitur, praeter rubiam, garausam Gallis, *Meedecrape* indigenis nominatam, adornandis pannis, ne color deflorescat, eumque intimè concipiant, necessariam, praeter triticum quoniam nusquam gentium candidius, aut magis ponderosum, praeter tot salsamenta, ac vento induratas saperdas, simul ac immensam piscium copiam, quae quotidie recens aduecta, in omnes Europae partes distribuitur, exhibet. Prata ac pascua habet latissima, pecora fecundissima. Ferinas vix alias habent praeter cuniculos. Ea autem hic est rerum vicissitudo, ut minimo annorum decursu, ac temporis interuallo, magna incrementa haec regio suscipiat, rursus maximam iacturam ac detrimenta patiat. Nec vlla res vices rerum humanarum, aut varios instabilesque motus melius commonstrat, quam zelandiae insulae, qua-

rum prosperi successus ac res secundae aestuario fluxu ac refluxu, nunc huc, nunc illuc voluuntur. Nulla est apud vllas nationes annona, aut res frumentaria etiam lectissimi tritici vberior, ita ut bina iugera Zelandica plus emolumentum cultori, colonoue afferant, quam quatuor Brabantica. Itaque prouerbio Belgico exoptantur Brabantici aëris clementia, eiusque soli stabilitas, Zelandici verò fundi redditus, Vulgari sermone *Brabansche locht, Zeeusche renten*. Minera nulla habet ferè. Verum ex lacubus, quas *Moer* indigenae vocant, eruuntur glebae bituminosae, quae accensae, ut naphtha ardent, non sine odore tetro ac viroso. Apud Brabantos quoque eruitur ista materies, sed quod regio minus saluginosa sit, atque à mari remotior mitius olet. Illi *Thurf* has glebas indigitant, maritimi verò *Darri*. Quarum tanta vis est, ubi frequentius his aëdes incalescunt, ut ferrum, cuprum, stannum, argentum, atque aenea quaeque deurat, omniaque in aëdibus praeter aurum deteriora efficiat. Haec enim globae mephitim exhalant, atque graeolentiam adedò, ut aëdentes syncopi, atque animi deliquio subinde periclitentur: nec minori incommodo afficiunt carbones cum fossiles, tum factitij, nisi illos dum ignescunt sale conspergas, tali siquidem remedio discutitur virus infestum cerebro. Haec autem glebae in cineres redactae, saloque perfusae materiam ac fomentum olim praebant incolis conficiendi salis, sed is modus iam in desuetudinem venit. Sunt sitae haec Insulae ea parte Oceani, quae Zephyrum ac Lebeccium ventos respicit, ac Australi ut plurimum perflatur. Terminatur à Septentrione nonnullis sinibus maris, utpote *Flackee*, qui eos ab Hollandis determinant, à Meridie sinistro Scaldis fluuij ostio (quod *Canem* seu *Hont* appellant, à latratu) alluuntur, quo à Flandris dirimuntur. Orientale latus eiusdem Scaldis fluuij ostium dextrum lambit, quod retento sibi proprio nomine à Brabantis eos separat. Occidentalem verò plagam, quae eadem & Angliae obuertitur Oceanus magnus rodit. Locus eius Australissimus 29. minuto 52. grad. subijcitur, Borealissimus autem eiusdem gradus quinquagesimo minuto subest, ab Occidentis parte initium facit sub longitudinis vigesimi quinti gradus, minuto decimo septimo. At qua in Orientem vergit maxime 10. minutum 27. gradus longitudinis attingit. Est itaque post principium 9. climatis, ad eiusdem medium vsque sub parallelo per Rheni ostia, qui est vigesimus, ac diem habet prolixiorem horarum 16 $\frac{3}{4}$ . Verum cum latior sit quam longior, si ad milliaria referas eius mensuram, habebit in latitudine milliaria Italica 79. Germanica verò 19. In longitudine autem Italica 34. Germanica autem 8 $\frac{1}{2}$ .



## BRABANTIAE DVCATVS,

**B**rabantia nomen vnde sit, more nostro primū discutientibus, nobis varia offeruntur opiniones, quibus nos obiter enumeratis, iudiciū rei dubiæ penes lectorem relinquemus. Quidam itaque opinantur Brennum eum, qui Romanam penè excidit urbē, huic regioni nomen suū reliquisse. Hunc ferunt regis cuiusdam Britannorum filium fuisse, ac Belgensibus imperasse. Affirmant nonnulli ab oppido cognomini regionem appellationē sortitam esse, quæ quo loco sita fuerit, non cōstat. Meminit Cæsar in Commentarijs suis Bratuspantij oppidi bellouacorū: quod si in hac regione sitū esset, non inuitus faterer inde nomen deduci, cum non sit huic prorsus absolum. Alijs placet dicere *Brachbant*, quasi *Brachlant* dicerent, quod terrā incultā ac sterilem, ac seminis minimè capacem, significat: quod verū videri poterat, nisi animaduertetur superiori Brabantia parti, quæ letos vtcunque agros habet, prius id nominis datum, quàm inferiori, quam *Campestrum*, etiamnum Brabantia, seu vulgò *Sempelandt* vocat: qui tractus vsque adeò sterilis est, vt non exiguam coniecturæ fidem faciat. Significat etiam *Brac* terrā aut aquam salsam: vnde nonnulli contendunt hanc regionē maris fluctibus olim inundatam fuisse, ac *Brachlant* salsam terram dici debere, idque eo argumento stabilire velle videntur, quod hinc inde fodientibus, reperiatur sæpè testarum copia, conchilium, aut ostrearum: quod tamen non suffecerit huic rei probandæ, quippe cum eadem etiam in Mediterraneis Germaniæ mōtibus altissimis, ac tanto à mari interuallo disitis, reperiatur: nisi quis diluuij tempore eodem congestas fortasse dicat: quod quidem & hinc fieri potuit. Plerique in hoc cōueniunt (quos tamē sese inuicem transcribendo imitatos esse puto) quod referant Saluium Brabonem quendā C. Iulij Cæsaris ex nepte cognatū, gigantem quendam Druonem Antigonū dictum, quē fabulantur hanc Scaldis ripā tenuisse, ac solitum eā iter facientibus, manus loco vectigalis amputare, vicisse, eiusque manu in vltionē recisa, in præterfluum flumen proiecisse, ac ex eo facinore loco Handoverpiæ nomen indidisse, ac deinceps ab Iul. Cæsare huic terræ præfectū, eam sibi cognominem Brabantiam dici voluisse, quæ iam pro fabulis explosa sunt. Sunt qui à Godefrido Barbato Louaniensi Comite, appellatum velint: cōiectura frigida videtur, nisi fortè is vetus iam ac penè obsoletū id nomen reuocarit, quod verosimilius est. Becanus, vt pleraque alia ita etiam hoc nomen ad vernaculā Cymbrorum linguam refert. Ita vt putet dictionem cōpositam ex *Bras* seu *Braue*, quod idem est ac si dicas quempiam ostēdere omnia sua parata bona seu suum ad rem præsentem ornatum: seu vt Germanus superior diceret, *Bar-habe*, & *bant*, quo primo proprieque vinculum seu fascia significatur, ac postea quoque signum seu vexillum, quam alioquin *Banderam* vocare solent, populum verò ipsum hoc auctoramento deuinctum *bandam* siue *bendam* dicunt: atque hinc ad quāuis societatem fœdere quopiam cōeuntem transferunt. Ita vt *Brabant* dicatur, quasi *Braua-banta*, seu *Brauabanda*, aut *Bras-bant*, quod quo mollius sit ad efferendū, & in medio minus hiulcum in *Brabant* est mutatū. Atuatikos itaque

inquit, hoc sibi nomē sumpsisse, quo promptius ipsorum animus excellensque studium promouendi consanguineos suos Francos, & eorū suppetijs liberatos, prisca vindicandæ feruor indicaretur. Quando enim præ cæteris (vt ait) omnibus quicquid facultatum & virium haberent, ad Romanos eiiciendos ambitiosè ostendebant, Brabantos se nominabant: eò quod ipsorum *Banda braui* appellationē in primis mereretur. Et quemadmodū *Atuatikorū* sedes præcipua, cum res ipsorū floureret, circa *Bruxellas* & loca vicina fuit, ita principio ei maximè parti nomē datū est *Brabantia*, in qua virtus ipsorū contra Cæsare maximè eluxerat. Addit præterea *Becanus* in antiquissimis schedis, ad *Diuum bauonem*, cui super *Scaldi* è regione *Gordunorum*, monasteriū fuit, quod nunc in arcem est cōuersum, tres pagos enumerari, *Brabantēsem*, *Ryensēsem*, & *Tessandrium*, sed ob originis ignorantia *brachbantensem*, pro *brabantensem*, esse scriptū. Sub *Austrasiæ* etiam nomine olim cōprehensa fuit, dum sub *Francorū Teutonorum* etiā imperio vna cum secunda *Germania* esset. Pulsis enim Romanis è *Gallia* quicquid *Franci*, qui *Germani* erant, recens subiugarant, in duo præcipua regna est distributū, quorum alterū *Austerych* seu *Ostreich* Orientale regnum, alterū *Vvestrych* Occidentale regnū nominabatur, quas voces Latini non intelligentes, variè corruerunt: ex *Austreich* *Austryciam*, ac deinde *Austrasiam* ex *Vvestreich* *Vvestriciam*, atq; mox *Vvestriam*, postremò literis planè mutatis *Neustriam* facientes: quarū hæc *Ripuarum*, ab amniū *Mosellæ*, *Rheni* & *Mosæ* ripis hodie dicta, metensem diocesim, *Treuirensēsem* tractū, illa *Brabantiam*, *Hannoniam*, *Geldriam*, *Cluiam*, ac totā *belgicā* ad *Scaldis* vsque principio cōplectebatur, atque post quod *Lotario* in tripartita illa *Carolingorū* diuisione obuenset, *Lotreich*, ac deinde *Lotoringia* est nominata. Eā *Henricus* quintus anno 1106. in duas partes diuisit. Superiore, quæ hodie sola id nominis tuetur *Loranie*, *Thierio* nepoti *Godefridi* vltimi concessit: alterā verò inferiore, quæ est *brabantia* hodie, *Godefrido* barbato assignauit. *Brabantia* etiam *Rhetia* dicta est, *Tongri* longè ante Cæsare è veteri *Germania* *Rhenū* trāsgressi in *Gallia* *belgica* agros *Rhenopropinquos* occuparunt, eoq; tractu confederūt. Vbi hodie eius nominis oppidulū *Tongerien* veteris populi vestigiū, superest in *brabantia*. *Tongri* hi fuere antiquissimi *belgarum*, ac ij qui ex *Germanis* seu *Alemannis* oriundi primi sibi *germanorū* nomen vsurparunt teste *Cornelio Tacito*. Terram autē incoluere primitus *Galli* seu *belgæ*, quos *Atuatikos* vocat *Ptol.* & *Ambuarites* circa *Antuerpiam*. Verum cum *Saxones* rebellandi finē non facerent, *Carolus* magnus ad decem millia *Albingorū*, hoc est, eorū qui vtramque ripā *Albis* fluuij colebant, in *Brabantiam*, *Flandriam*, ac vicina loca traduxit, qui vnā cū *Francis*, qui prius eam tenebant, vt dictum est, regionē, coniuncti gentem ferè totam *Germanicam* fecere. Vnde hæc *Germaniæ* secundæ pars frequentior facta, ob portuum cōmoditatē vrbes istas, quas illic nostra ætas maximas videt, modicis vicis ad istam visendā amplitudinē, opulentiamque, intra quingentorū annorum spaciū, paulatim perduxit. Argumento sunt, quòd mediæ ætatis scriptores *Gandauenfis*



BRABANTIA  
BELGARVM  
PROVINCIAE  
RECENS EX  
ACTAQVE  
DESCRIP TIO  
Cum privilegio



1 2 3 4 5

pagi & aliorum mentione faciant, quos iam videmus vrbes capacissimas ac ornatissimas esse. Nec à tot seculis retrò testimonia quærenda videntur, cum hoc tempore viuât, qui ter quaterue ampliatus viderint celeberrimum hoc Antuerpiense emporium. Circa Louanium Grudios & Leuacos populos habitasse ferunt. Circa Leodium Centrones ac Eburones. Ducatus priuilegio gaudet Brabantia, ac continet etiamnum in se dominia complura: utpote S. Imperij Marchionatum Antuerpiensem, Marchionatum Bergensem, Episcopatum Leodiensem, Haspaniam, agrum Hornensem & Kessellensem, Ducatum Arschotensem ac Bologniensem sub Episcopatu Leodiensi, Comitatus Hochstratensem & Namurcensem, ac Meghensem, Dominia Mechliniense, Bredaense, ac Rauensteinense, ac baronatus circiter nouedecim, qui etiam eius Curia subsunt. Ducatus Limburgensis, Comitatus Dalemensis, ac complura alia dominia ultra Mosam. Brabantus hilaris, festiuus, ridiculus, in scenicis comiciisque moribus immodicus teste Lénio. Eius populi hodie humanissimi ac festiuissimi: ut plurimum tam mulieres quam viri mercaturæ vacant, ac ita scientiarum artium & linguarum studiosi sunt, ut vix videre sit familiam, quæ non duas, tres, pluresue diuersas linguas exactè loquatur. Loca seu oppida huius nobiliora sunt Bruxellæ, ubi aula est ducis, qui est Philippus Hispaniarum rex. Louanium celebre literarum ac artium emporium à Iohanne Brabantia Duce fundatum, circa annum Christi 1422. quæ ciuitas in circuitu habere dicitur intra mœnia milliaria Italica quatuor. Antuerpia ut illud artium, ita hoc mercium variarum famatissimum per orbem omnè emporium, Scaldi fluuius, quæ Tabudam Ptol. vocat, æstibus maritimis obnoxia ponè positum, ita ut è portu etiam altissimarum nauium plana via ingressus pateat: non toti tantum Europæ, verum & Asiæ & Africæ seruit, rebus tum ad vitæ usum necessariis, tum etiam splendore ac ornatu pertinentibus. Hinc enim ad omnes orbis partes nauigatio patet, cum ab Oceano magna haud plus 15. milliariis. Flandricis disita sit, nec minus hæc quam illa capax est. Buscumducis seu Syluaducis, vulgò *Hexfoghen* *bofch*, cuius incolæ etsi ciuiles satis ac negotiationi dediti, tamen plus antiquæ fortitudinis retinuisse dicuntur, quam reliqui eorum conterranei. Hi sunt qui toties negotium facessabant Iulio Cæsari, priusquam in officio retineri possent, qui postquam in deditioe eius venerant, ac armis iam on. nibus exuti ac spoliati viderentur, tantam sibi armorum ac lancearum copiam clam reseruauerant, ut vel fossas ciuitatis ijs implere potuissent. Hæc etiam Georgium Macropedium insignè linguarum professore genuit: nec hodie adhuc viros vndeunque doctissimos promere, cum hæc tum per ænominata etiam vrbes cessant. Habet etiam Mechliniam duplici iam clade notam, quarum alteram anno 1546. die 7. Augusti accepit. Porta enim, quæ vulgò dicitur *de Sandt-porte*, in qua circiter 800. vasa pulueris bombardacij reseruabantur, de cælo tacta, oppidum ferè totum, cum frequenti incolarum numero, maximo affecit incommodo. Alteram rebellionis causa vix hac minorem accepit hoc anno, qui est 1572. Aère fruuntur saluberrimo. Regionis territorium ex parte fecundum est, præsertim qua Meridie prospectat, ac versus Namurcensem Comitatum, ea enim parte ager fertilissimus est. Cæterum qua ad Septentrionem spectat, loca sunt vsque adeo sterilia, ut

per aliquot milliaria e à iter facientibus, præter mendicantes vix aliud obuium sit, non sufficiente agro, cultores suos quamuis numero paucos, alere. Hanc Campestrè vocant Brabantiam, *Campestrislandt* vulgò. Huius regio quædam est, quæ Taxandria vocatur, à Taxandro oppido credo, cuius Marcellinus meminit, de Iuliano Cæsare loquens. In litem, inquit, Germaniæ secundæ est aggressus, omni que apparatu, quem flagitabat instans negotium, comunitus, Taxandro oppido propinquabat. Huius iam nulla vestigia, præter nomen reliqua sunt. Ibidem loca habet, quæ Incolæ *Coel-landt* vocant. Sunt ea hyberno tempore paludibus plena, æstiuo autem ab accolis ex ijs cespites quadrati, bipalmes excinduntur, qui in strues altas extructi soli desiccandi & coquendi exponuntur. qui humiditate penè omni Solis calore absorpta, vix dum palmes restant, ac aptissimam foco, ignique struendo materiam præbent. Verum hæc notandum triplici hoc loco materia ignè ali, ligno nimirum, quod saltus quidam præbet Brabantia: lapide, quem Leodienses ferrifodinæ mittunt *λιθωνόραχες*. Horum naturam vide in Zelandiæ descriptione: & cespite, quem partim Hollandia aduehit, partim ipse Brabanticus ager, ut dictum est, exhibet, vulgò *Sorf* vocant. Ferunt præterea oues campestris Brabantia in cibatu reliquis delicatioribus haberi, ac lanam quoque reliquis ouibus ferè molliorem ac subtiliorem. Eiusdem etiam Campestris Brabantia ligna durissima ac robustissima perhibentur. Vineta habet regio circa Louanium, & in agro etiam Leodiensi, quod tamen vinum acerbum ac austerum gustu. Syluas insigniores quinq; Soniensem, Sauenterlo, Grootenhout, Grootenheist, & Meerdal. Fluuijs rigatur plurimis, qui mercibus vndequaque conuehendis non parum commodi sunt, è quibus præcipui sunt Scaldis, quem Tabudam Ptolomæus vocat: & Mosam, qui pisces etiam, tum dulcium aquarum, tum marinos, maiori quam dici queat, copia largiuntur. Circa Bruxellas agrum producere ferunt albos quosdam lapillos adamantibus non absimiles, cuiusmodi etiam in India reperiri, iisdem locis quibus adamantes colliguntur, ac hos quidem eorum iudices esse, affirmant ij, qui Indorum oras visere. Regionis limes Septentrionalis quidè est Mosam fluuius, partim ab Hollandis, partim à Geldrensis eam discriminans, idemque fluuius ibidè etiam Orientalis terminus est. Meridionalis quoque limes, idè fluuius, qua eam ad Hannoniam & Namurcensem Comitatum, ac Leodiensem Episcopatum extendit. Occidentalis autè limes Scaldis flu. est, eam à Flandris discernens. Principium eius in longitudine est à gradu 26½. vsque ad 29. latitudo autem à gradu 50. vsque ad 52. grad. hoc est, à principio 9. climat. vsque, paulò ultra medium eiusdè, hoc est per mediã Mœotim. Ita ut parallelus eius australissimus sit decimus octauus, ibidemque dies prolixior horarum 16 & ¼. Medius autè decimus nonus, ac dies maxima horarum 16½. Quantitatem verò si ad milliaria referamus, colligemus latiore quam longiore à Meridie ab oppido Gemblurs, incipiendo in Septentrionem vsque ad S. Gertrudenberg mill. Ital. 80. Germaniam autem 20. longitudo autem ab Occidente ab oppido Berghen op Zoom, in Orientem ad oppidum Helmont, mil. Ital. 69. Germaniam autem 17½.

## FLANDRIAE COMITATUS.



Erræ huius nomen cum minimè antiquum sit, utpote cuius supra quingentos annos nemo scriptorum meminert, sic tamen variant opiniones, de eius origine, ut nihil assèuerare ausit quis, de rei certitudine. Sunt qui referat ad Flambertum Clodij ex Blesinda sorore,

Sicamborum regis nepote, ac Falandi filium, quem Clodius captæ Rowanæ, ac adiacentibus littoribus maris præfecisse dicitur. Malunt alij à Flandrina deriuare, quam vxorem fuisse affirmant Liederici Iunioris comitis ab *Haerlebekken*, aiuntque ob eius insignia merita in Imperatorem voluisse Carolum Magnum hanc prouinciam vxoris ipsius nomine vocari. Alij ex fluctibus flatibusque continuis quibus hæc obnoxia est regio, natam vocem credunt. Hodie latius hæc vox patet, quam eius ferat proprietas, cum omnes penè inferiores Germani, siue Brabandi ij sint, siue Hollandi, siue Zelandi, siue tandem Frisij, Geldrijue sint, omnes vno nomine exteris, Flandri Vlamingique dicuntur. Hæc prouincia vti ex multis diæcesibus, ac regiunculis in vnum conflata est comitatus: ita multis diuersis olim nominibus appellata fuit. Rutheni vocabantur qui circa Iccium portum, nunc Calis, confidebant: ab eorum duce Ruthenio, tenebantque littora maris, qui hodie tractus vulgò terra Guysonum: *Tlandt van Guyssen* dicitur. Morini dicebantur qui Terrouanam ac adiacentem regionem tenebant, de quibus Virgil. 8. Aeneid. Extremique hominum Morini, ibi enim habitati orbis finis putabatur, antequam Britannia Insula, Romanis esset notitia. Blandinos etiam appellatos reperias à Blandinio eorum Principe. Insuper & Albani Bellocassij, Britones & Menapij dicebantur. Verùm hi Menapij, ex Cisrhenana Germania eò habitatum profecti, Germanorum pars sunt, quos Cluios Iuliacensesque hodie dicimus, qui que ibidem Flanderorum linguam condidisse putantur Gorduni, dicebantur Gandauenses. Neruios horum antiquissimos credunt, eos hodie Tornacenses vocamus. Pleumosinos, Manipistos, Tarquicenses præterea à Tarquinio, Brachatenensesque appellatos tradunt nonnulli. Huyninges etiam ab Hunis, ac Rhetios à Rhetio rege nuncupatos volunt. Belgios præterea, cum hos, tum omnes inferioris Germaniæ populos, dictos fuisse vix quisquam ignorat à Belgio oppido, quod in Hannonia quidam locant, eo loco vbi hodie Beauuais pagus conspicitur. Nonnulli autem Treuiros esse putant. Regionis Incolæ ita olim bello addicti fuere: ut quietè pacatiuè vix vnquam viuerent: ac Syriam etiam, terramque sanctam ac Hierosolimam, eorum arma peruaderent. Hodie humanissimi, ciuilesque sunt adeò, ut nusquam ferè gentium exteriores peregrinique humaniores ac hospitales magis experiantur, qui orbem peragrantur. Mercaturæ sedulam nauant operam, mechanicis frequentissimi incumbunt, ita ut oppidum in ea pagumque vix reperire sit, qui non in 70. aut 80. interdum diuidatur opificia, singulis frequentissimis hominum cætibus addictis, ac quod vix alibi videre est: haud reperias pueros quatuor annos natos, qui nõ sufficientes sint suo labore victum sibi comparare. Cum enim pannorum, tum laneorum, tum lineorũ, ingentem copiam concinnent: hi aut fila fuso ducunt, aut in globulas ea redigunt, aut lanã tractant, seliguntque, aut aliud quippiam operæ impendunt. Vnde cum populosissima sit prouincia, confertique habitet: ita ut pagi complures vix populosissimæ Germaniæ vrbi habitatorum frequentia cedant, sit ut in plerisque oppidis, quotannis telarum aliquot millia absoluantur, quin & præter hos pannos alia etiam diuersa telarum genera hinc in omnes ferè orbis partes venum exportantur. cuiusmodi sunt quos sua ipsi lingua *tapisserien.* i. tapetia, *saye, fistain, boucrain, & bourat* vocant. Diuidebatur hæc regio olim in tres partes. In comitatum sub regibus Gallia, in dominium sub imperio, & in proprium, sub ipso comite. Diuiditur hodie in Flandriam Flandricantem, seu Teutonicam: Flandriam Gallicantem, & Flandriam Imperatoriam, quam & proprietariam. Imperatoria autem Flandria sic dicta, quòd ea pars dudum Romano Imperio subiecta, sub eiusdem etiam tutela fuerit. Hæc alio nomine Alostensis comitatus dicitur, ab eiusdem nominis in ea oppido. Regio

est haud ampla, inter Denderam & Scaldim fluuios, comprehensa Brabantia confinis, antiquitus Bracant dicta est, à cognomine in ea Castro, postmodum à Balduino Pio, Flandriæ comite, euerfo, dicebatur, & dominium. Hæc insuper Flandriæ portio subdiuiditur in comitatum Alostensem, Dendermondense territorium, & quatuor officia, quæ *Ambacht* vocat, ut sunt, Axel, Hulst, Assenede, Bouchouten, præfecturæ sunt, & terram de Waes, & tractum Transchaldensem, vulgò *Ouerscheld*, qui cõtinet territorium Bornhemense, vulgò *Tlandt van Bornhem*. Habet & Imperatoria Flandria Stenhuyssensem, & Gauerensem principatus, Boelarde, Gaukren, Liekerke, Lombeke, Neyghem, Sotteghem, Schorisse, Baronatus. Item Waes, Beueren, Saeftinghen, Bornheim, Roden baronatus. Habet & Velsicke vicum, quæ existimant nonnulli Belgicum olim fuisse. Hæcque Flandriæ portio propemodum habetur fertilissima. Flandria autem Teutonica est ea, quæ terminatur à Septentrione mari Oceano, à Meridie Liza flu. & Flandria Gallica, ab Oriente Schaldi flu. & Flandria Imperiali ab Occidente, Fossa noua, & Arthesia. Estque hæc pars minus fertilis, solumque fabulosum, arenosum ac macrum habet. Vnde filiginis, triticique panem, fecalis autem farrisque plurimum. Educit auenam quoque, & quicquid est leguminum: ut sunt pisa, fabæ, ador, linum, item & Canabim abundè producit: obsoniorum item copiam habet. Continet hæc pars quatuor Flandriæ membra primaria Gandauum, Brugas, Ypram, & Liberos seu Francos tres vrbiũ principaliũ, quarum primas tenet Gandauum. Hanc ante Iulij Cæsaris aduentum Odieum, nonnulli alij Clarineam, appellatam tradunt, ac deinceps Gaidam ab ædificio aut Castro ibidem à Cæsare extracto. Videtur certè Cæsar in Commentarijs suis Gordunes eos vocare, à Vandalis autem *Vant* nomen sortita est. Id deinceps in Gandt & Gendt mutatum est. Ciuitas est quoad situm, munitissima, ac perampla, ita ut inter maximas Europæ vrbes connumerari debeat: habet enim intra muros circuitum 45640. pedes Romanos, qui efficiunt milliaria Italica septem, Germanica 17. Reperias intra mœnia insulas habitatas circiter 26. quas partim aluei fluminum, quibus rigatur vrbs, partim canales, atque aquæ-ductus manufacti efficiunt. Tribus siquidem fluminibus perluitur vrbs, Scaldi, Liza, & Liuino, ac præter minores pontes innumeros sunt 98. sub quibus commodissimè Holcadibus ac nauigijs altis, quæ *Pleyten* illis dicuntur, quibus merces comeatusque conuehitur, transitus patet. Brugæ seu phantum Mercurij, altera ciuitas, quæ olim splendore suo totam ferè reliquam Flandriam obfuscauit, cum portus, mercatusque qui hodie Antuerpiam translatus est, ibi vigeret, quo adempto iam in minore fortuna versatur, quamuis eodem necdum profus sit spoliata. Lanarum enim negotiationem cum ingenti fœnore retinuit. Ac cum tam celebris fuerit portus, tamen flumine nullo lambitur, verùm arte manuque facto aquæ-ductu, seu Canali largissimo, capacissimoque, omnes eius territorij aquas, singulari industria, facile vnum in locum colligunt, easque pluribus fossis nauigabilibus per vrbem ducunt, ac demum in vnum alueum denuò reuocatos ad Damum oppidum, indeque ad Catarhactas *ter Sluysen* vocant, ibidem ad mare vsque deducunt, ut naturale flumen videri queat, eique Reia nomen fecere. Huic simile etiam paucis ab hinc annis, alterum fecere canalem, nauium onerariarum capacissimum, quo marino æstu accedente, in vrbem vsque nauigia deduci queant, vbi admirandæ industriæ opus, machinamque ingeniosissimam videre est, de qua fatius duxerim tacere, quam pauca dicere. Ypra à præterfluo torrente eiusdem nominis sic appellata dicitur. Hæc fundum solumque habere dicitur plumbeum, ob infinitos canales plumbeos, ibidem vndequaque insertos, ut commoditatem præstent maximam, singulis penè domibus, ac vicis aquam largientes: habetque hæc agrum omnium quos Flandria Teutonica habet, fertilissimum. Quartum membrum est eorum, quos Francos seu Liberos vocant, eò quod iugum Brugenium excusserint, ceruicisque suas liberarint, continetque territorium id quod est circa Brugas ferè ad septem milliaria, ac vulgò vocatur *Tlandt vanden Vryen*. Iurisdic-